

Religio ay
cum fonte primo

Laudant quorum cupiunt predicatione laudari, ieunant ut uultus sui pallorem perniciosis laudibus uendant. Ad reprehendendos alias prompti, sed non paciuntur a quibuslibet uel leuiter reprehendi. Ad faciem publicam pacienciam fingunt et in animo iracundie uirus abscondunt, ad nocendum parati cum nocendi tempus inuenerint; suorum actuum negligentes fiunt aliorum procaci libertate censores. Imprudenter se assumunt uirginibus sacris et uiduis quibus conglutinantur affectu ut facilius ab ecclesie, quod dictu quoque nefas est, quam ab earum communione discedant. Qui etsi cum illis forte non peccant, tamen male suspicionis de se prebendo materiam, uitam maculis sinistre opinionis infamant.

Prosper ibidem (de uita contemplatiua libro I.).

Hi sunt qui sermone tantum, non opere, saeculo renuntiasse contenti saeculariter vivunt, et vitia sua inani professione vitae melioris abscondunt, ac religionis imaginariae nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt: praedicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; laudant eos quorum cupiunt praedicatione laudari; jejunant ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant. Ad reprehendendos alias prompti, se non patiuntur a quibuslibet vel leviter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiae virus abscondunt, ad nocendum parati, cum nocendi tempus invenerint: suorum actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. Impudenter se assunt virginibus sacris ac viduis, quibus tanto inglutanantur affectu, ut facilius ab Ecclesiae (quod dictu quoque nefas est) quam ab earum communione discedant. Qui etsi cum illis forte non peccant, tamen malae suspicionis de se praebendo materiam, vitam suam maculis sinistre opinionis infamant.

Iulianus Pomerius, *De uita contemplatiua*, 2, 4, 2 (PL 59, col.448A-C).